

COMMENDATIO
ET
DEFENSIO
SEPTUAGINTA
Interpretum Versionis

à

Johanne Pearsonio

Episcopo Cestriense

scripta,

Cui subjuncta

Philippi Melanchthonis

Epistola ejusdem fere ar-
gumenti.

In Theologiæ, imprimis Philolo-
giæ sacrae Studiosorum gratiam,
nunc iterum edita.



HELMSTADT,

*Apparatus
bibl. 13*

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII,
Acad. Jul. Typogr. Ao. 1694.

ar. bibl.

76,60

COMMENDATIO
ET
DEFENSIO
SEPTUAGINTA
Interpretum Versionis

Johanne Perizonio
Episcopo Cæsariensi

Philippi Melancthonis
Epistolae quaedam de
Grammatica

In Theologiae imprimis Philologiae
sive faciae studioforum gratiam
hanc hinc edita



HELMSTADT

Typis Georgii Woffelangi-Hammii
Aed. Jul. Typogr. Act. 1694



Benevolo Lectori Salutem!



Si benignissimo Numini placuisset San-
ctorum suorum prophetarum, Apostolorum
omniumque illorum qui ex divino afflatu
scripserunt, ipsa autographa conservare, ut
nobis eorum copia hodie fieri possit; non tot laboribus
conferendorum codicum occuparemur, aut in variarum
lectionum collatione conjecturis duci necesse haberemus.
Nunc vero, illis sanctorum virorum manu exaratis mem-
branis non extantibus, labor videtur inexhaustus & per-
petuus nobis datus, tam in comparandis inter se libris ea-
dem elementa verborum non monstrantibus, quam in
versionum examinatione & cum ipsis fontibus collatione
impendendus. Et quidem de ipsorum Scripturæ Divinæ
fontium, Ebræorum scilicet Codicum in Veteri, Græco-
rum verò in Novo Testamento variantibus lectionibus
jam agere opus non est, saltem de antiquissima illa Græ-

* 2

ca

ca **Canon**icorum **V. T.** librorum versione, an illius legendæ versandæque curam aliquam habere debeamus, haut immerito quæritur. Postquam enim, D. Hieronymo facem veluti præferente, Ecclesia Occidentalis omnia Veteris Testamenti oracula ad Ebræam veritatem exigere cœpit, frustra videntur illi laborare, qui circa versionem Græcam, de cujus auctore certi non sumus, legendam, explicandam, aut sicubi describentium incuria corrupta sit, emendandam occupati sunt. Maxima certè fuit auctoritas Græcæ illius versionis quæ τῶν ἑβδομήκοντα vocabatur, tam in orientalibus quam occidentalibus Ecclesiis, usque ad tempora Origenis, adeo ut unice legeretur & tanquam canonica Scriptura S. æstimaretur ubivis, nisi in Syria illi qui Græcæ linguæ imperiti fuere Christiani, Syriacam versionem forte habuerunt, aut ipsam Hebræam scripturam versarunt. In occidentalibus autem Ecclesiis, ii qui Græca parum intellexerunt, usi sunt quidem vetere quadam Latina versione, non ex Ebræo sed Græca hac **LXX** versione translata. Sed D. Hieronymus differentiam non exiguam cum observasset inter Codicem Ebræum librorum sacrorum **V. T.** & Græcas versiones, vertit ex Ebræo libros canonicos Latinè, qua ipsa versione videtur auctoritas **LXX** Græcorum interpretum detrimentum magnum cepisse. Renatis quasi linguarum studiis, superiore seculo, *Capnion*e aliisque egregiis Viris allaborantibus, cum Ebræa volumina legerentur & in admiratione summa essent, à plerisque Græca versio vili pendebatur, ut ex Philippi Melanchthonis præfatione, quam hic exhibemus, colligere est. Hic enim Philippus fugientes copias veluti revocavit ad signa Græcæ illius versionis non quidem tanquam authenticæ vel canonicæ, sed tanquam fidelis alicujus

jus

jus testis de veritate Ebræa. Ita enim in Chronico, ubi agit de Ptolemæo Philadelpho. *Etsi, inquit multi disputant de Græca interpretatione, quæ hodiè extat, qui fuerint auctores, qualis sit: tamen cum Paulus verba inde citet, apparet eam etiam ante Apostolorum tempora usitatam fuisse. Et corpus narrationum non malè redditum est, etiamsi alicubi occurrunt aliqua errata. Esset & magis perspicua lectio, si diligentius distincta esset. Summa tamen operis est utile testimonium de significatione Ebræi sermonis.* Hoc nostro seculo Johannes Morinus Blesensis congregationis Oratorii D. N. Presbyter, septuaginta Interpretum versionem una cum Vulgata Latina ita in suis *Exercitationibus* commendare & deprædicare cœpit, ut Ebraico V. T. codici multum detraheret, & Rabbinorum commentaria atque explicationes acriter perstringens, ubique à versionibus ab Ecclesia magni æstimated veram verbi Dei expositionem petendam esse contenderet. *Vides inquit Exercit. VI. cap. V. n. XI. Lector, fatentibus ipsis Judæis, antiquioribus & Neotericis, quanta fuerit sitque nunc apud eos Hebraicæ Linguae ignorantia, quam fragilibus & aliquando ridiculis principiis in dictionum obscurarum significatione eruenda plerumque innitantur. Vides præterea LXX Interpretum & S. Hieronymi versiones, ubi plurimum & à se invicem, & ab Hebræo textu differre videntur, ipsis Rabbinorum suffragiis, facile conciliari posse. Itaque ea quæ hætenus dicta sunt, animo si diligenter perpendas, fateberis non ambigo, nativam dictionem Hebraicarum significationem multo intimius & exactius ex versionum Ecclesiasticarum cum Hebræo textu comparatione elici, & exprimi posse, quam ex Rabbinorum dictionariis &c.* Sed in ipsa Gallia statim opposuit Morinianis exercitationibus Simeon de Muis Regius Sacrarum linguarum apud Parisienses

enses Professor anno 1639 Dissertationem de *Hebraica Editionis, auctoritate ac veritate, & censuram in aliquot capita Exercitationum Ecclesiasticarum in utrumque Samaritanorum Pentateuchum*, quibus Samaritanum Pentateuchum à Morino Ebraico praelatum à folio, in quod collocatum eum ibat Morinus, removit. Quin & in Helvetia Joh. *Henr. Hottingerus* editis *Anti-Morinianis Exercitationibus* vindicavit receptum Ebraicum Codicem. Idem Hottingerus in Thesauro suo philologico prolixè monstrat quam indoctè & sæpe inepte verterint Ebraica LXX Interpretes, id quod ante ipsum in Belgio jam fecerat Sixtinus Amama in Antibarbaro suo biblico. Horum aliorumque similium indicio & iudicio in contemptum deducta hæc Græca versio, ut à paucissimis vel obiter tantum inspiceretur, neque enim in Germania nostra centum propemodum annis integris proximis ullus bibliopola aut typographus eam edere curavit. Verum in Anglia initio hujus seculi aliam opinionem de ea versione, publicatis suis scriptis prodere, & animis lectorum suorum inserere cæperunt viri docti. *Ant. enim Dunæus* Acad. Cantabrig. Professor in notis ad Joh. Chrysofomi homilias quasdam, illam versionem à contemptu vindicare & commendare non dubitavit. Huic subjungi potest *Nicol. Fullerus* Decanus Collegii Sarisburiens. qui Miscell. lib. III. c. XII. agens de Pl. XXII. 16. comparatione instituta inter Aquilæ & LXX. versionem. *Quocirca inquit horum interpretationem, ut numeris omnibus absolutissimam, ob viis animorum ulnis amplectimur. Habet enim ἐνάργεια incomparabilem, perpetuam veteris Ecclesie approbationem, facillimamque & è proximo petitam derivationem.* Denique *Job. Boisius*, Canonicus Eliensis in Collatione Veteris Interpretis cum *Bezae* &c. versione, ad Matth. XX.

XX.

XX. 12. ita annotavit. *Qui 70 Interpretes non legit accurate, is sciat se non adeo idoneum, qui scripta Evangelica, Apostolica, de Græco in Latinum, aut alium aliquem sermonem transferat, utut in aliis Græcis scriptoribus multum diuque fuerit versatus.* Idem Joh. VIII. 25. *Unde melius discamus quæ sit vis multarum dictionum in Novo Testamento quam ex interpretibus illis? quos constat tanto fuisse in pretio apud Apostolos & Evangelistas, ut in testimoniis ex Veteri fœdere citandis, ne latum quidem unguem ab illorum verbis & vestigiis discesserint: quare, mea sententia, qui volet rectè judicare de Evangelistarum & Apostolorum sermone, ab illo nullo modo committendum est, ut sit hospes in Græcis τῶν ἑβδομήκοντα Bibliis.* Eo tempore Ludov. Capellus in Gallia Salmuriensis Ebr. L. Professor, editis Criticis sacris Ebræum Codicem ex LXX versione corrigere conatus est. In Anglia autem Brianus Waltonus Apparatus Biblici sui prolegomeno IX. (præmissis Bibliis Polyglottis) prolixè agit de dignitate & auctoritate hujus versionis, tanquam nobilis Synagogæ & Ecclesiæ monumenti; Sed hi omnes parum videntur egisse præ illo quod Isaacus Vossius Canonicus Vindesoriensis sese præstitisse existimavit, in Dissertationibus de Septuaginta interpretibus, quarum vindicias adversus Cocceium, Hulsium, Hornium & Schotanium, tandemque etiam Rich. Simonium edidit. Mendis non carere eam versionem agnoscere non erubuit Vossius, sed illas tolli posse existimavit, illiusque emendationis suæ spem fecit eruditus, ut Joan. Pearsonius Episcopus Cestriensis, in parænetica præfatione, quam Bibliis Græcis Cantabri-

bri-

brigiae anno 1665. excusis præmifit, quamque B. L.
jam typis redditam exhibemus, ultimis verbis indi-
cavit. Sed Vosfio jam ante quinquennium defuncto,
vix est quod ab heredibus ejus speremus labores huic
rei impensos publicatum iri, cum incertum fit an
quicquam suarum cogitationum chartis mandave-
rit. Interim diligens lectio Græcorum illorum Bi-
bliorum etiam nondum emendatorum ei, qui judicio
non destituitur, non erit absque emolumento five
**Controversias in Ecclesia agitari solitas, five
popularem homileticum labo-
rem verfet.**

M. Smidius.

Cum



* * *

I.



Um multa sint quæ de Versione LXX virali, dici possent, ea tantum hoc loco tradenda duxi, quæ animum Theologiæ studio addictum ad eam assiduè pervolvendam & accurate perpendendam maximè impellant. Neque vero de ejus antiquitate dignitateque quicquam impræsentiarum dicemus, de quibus viri docti multa, hoc præsertim seculo scripsere, qui cum maxime inter se dissentiant, nihil adhuc satis certi & explorati videntur tradidisse.

II. Primò itaque Versionem hanc frequentius consulendam diligentiusque excutiendam arbitror, *quo melius Veteris Testamenti mens intelligatur*, & Mosis Prophetarumque sensus liquidior appareat. Cum enim textus Hebraicus, quemadmodum apud nos hodie extat, & vel Judæorum vel Christianorum commentariis enarratur, sæpe obscurus sit; hi interpretes facilem aliquando sensum, apertum & concinnum præbent. Fateor equidem hunc explicandi modum, a Senioribus illis haustum, non in eo pretio apud plerosque esse quo oportuit; ex opinione nimis pervulgatâ, *LXX viralem scilicet Versionem esse ab Hebraica Veritate maximè alienam*: eandemque interpretandi rationem video multo invidiosiore ab iis hominibus factam esse, qui cum sint textui Masoretico maxi-

A

me in-

mè infensi, Authoritati LXX plurimum tribuere videri volunt; quales hoc sæculo fuere *Morinus & Capellus*, viri sane docti, sed hypothefibus suis nimis addicti, & ingenio suo nimium plerumque tribuentes. Quam autem feliciter Seniores illi S. Scripturam sint interpretati vel inde luculenter apparebit, si consideremus quam infeliciter fuerint malæ interpretationis accusati. S. quidem Hieronymus pasfim hanc Versionem vituperat, ejusque autoritatem labefactare conatur; sed sæpe numero sine ratione.

III. Legimus Gen. 25, 8. וַיָּמָת אַבְרָהָם quæ verba Seniores in hunc modum transtulerunt, *καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Ἀβραάμ.* S. autem Hieronymus breviter hunc locum ita repræsentat, *Et mortuus est Abraham*, statimque subjungit, *Male in LXX. Interpretibus additum est, Et deficiens Abraham mortuus est, quia non convenit Abrahæ deficere & imminui.* At neque male additum, neque quidem additum est. Quis enim nescit וַיָּמָת in Hebræo legi, & וַיָּמָת rectè reddi per *τὸ ἐκλέπειν*, quod vocabulum non *imminutionem* Abrahæ, sed Euphemismum continet, & placidam ac quietam mortem denotat. Ita certe Onkelos & Jonathan reddidere וַיָּמָת אַבְרָהָם & V. Interpres hic S. Hieronymum deseruit, transtulitque *Et deficiens mortuus est.* Est igitur *τὸ ἐκλέπειν* Græcis Interpretibus. *expirare, mori.* Quod non erat exagitandum, sed observandum potius, idque ad intelligendum S. Lucam apud quem c. XVI. 9. Christus ita loquitur. *Ποίσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τῶν μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς.* Licet enim & Alexandrinus & Cantabrigiensis MSS. aut *ἐκλείπη*, aut *ἐκλίπη* legant, quam lectionem etiam Syrus est sequutus cum Æthiopico, non dubito tamen, quin *ἐκλίπητε*, ut reliqui omnes legunt, primo scriptum fuerit,

fuerit, & mutatum in ἐκλείπει ab iis qui hunc Ἰσὶ ἐκλείπειν sensum non observassent: Est enim ὅταν ἐκλίπητε Vulg. V. *cum defeceritis*, loquendi modo LXX. præsertim familiari, *cum moriemini* sive ut rectè Theophilactus, ἵνα ὅταν ἐκλίπω-
 μω καὶ ἀναχωρῶμω ἐκ τῆ βίη.

IV. Ita Genes. XXVI. 17. Veteres ex Græco Latini *Et abiit inde Isaac & venit in vallem Gerarum, & habitavit ibi.* Ad hæc S. Hieronymus: Pro *valle*, *torrentem* habet, in Hebræo scilicet בנחל גרר At נחל tam *vallem* significat, quam *torrentem*; locum nempe depressum, sive aquis coopertus, sive nudus sit. Nulla igitur causâ à voce Hebræa, ob quam non tam vallis, quàm torrens vertetur. At rationem affert doctissimus Pater ex contextu, miram sane. *Neque enim Isaac, postquam magnificatus est, in valle habitare poterat.* Neque hac importuna objectione contentus, ad ὕ. 19. *Et foderunt pueri Isaac in valle Gerarum, & invenerunt ibi puteum aquæ vivæ* hæc annotat; *Et hic, pro valle, torrens scriptus est. Nunquam enim in valle invenitur puteus aquæ vivæ.* Mira autem hæc philosophia: mirum hæc à S. Hieronymo profecta, cujus Psalmorum versio juxta Hebraicam veritatem habet: *Qui emittis fontes e convallibus.* Frustra igitur hic sugillantur LXX. nec bene Vulgatus Interpres eos reliquit, ut S. Hieronymum sequeretur, unde Commentatorum pueriles errores pullularunt.

V. Legimus Genes. XXVIII. 19. וּלְאָמִלַם הָיָה שְׁמֵן הָעִיר לְדָשׁוּנָה LXX καὶ οὐλαμὲζ ἦν ὄνομα τῆ πόλει τὸ πρῶτον. Ad quem locum hæc habet S. Hieron. in traditionibus Hebraicis. *Ridiculè quidam verbum Hebraicum Ulam, nomen esse urbis putant, cum Ulam interpretetur prius. Ordo itaque iste est lectiois; Et vocavit nomen loci illius Bethel,*

thel, & prius Luza vocabulum erat civitatis. *Antiquæ omnes Scripturæ verbo Ulam sive Elem plenæ sunt, quod nihil aliud significat nisi autem, aut prius, vel vestibulum, sive superliminare, vel postea.* At ἑλάμ hîc non est nomen urbis, sed pars nominis: ut cum apud Strabonem legimus, μεταξὺ Πολίχνης, καὶ Παλαισκήψης ἢ Νεακώμη, πάλαι non est nomen urbis, sed σκήψης additum urbem significat, quæ LX stadiis superius steterat quam postea ἡ νέα Σκήψις, ut Strabo loquitur. Neque ulla ex diversis significationibus τὸ ἑλάμ huic loco convenit; non *vestibulum* sive *superliminare*, non *postea*, imò nec *ante* aut *prius*: illud enim hic הַשֵּׁנָה רְחֵל Relinquitur igitur ut pertineat ad nomen urbis, quod LXX. potuit esse notissimum, qui DC annis ante S. Hieronymum vixere. De hac urbe ἑλάμ Eusebius in locis Hebraicis, αὐτὴ ἐστὶν ἡ καὶ κληθεῖσα Ζαββλά, καὶ μετὰ ταῦτα Βαιθήλ. Ita Codex Bonfrerii, sed corruptus, ut ipse suspicatus est. At Codex meus MS. κληθεῖσα λῆζα, quod sequentia firmant, δεδήλωται ἀνωτέρω. Nempe in voce Βαιθήλ, ἡ δὲ τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο καὶ λῆζα, & in voce λῆζα, ταύτην ἐπωνόμασεν Ἰακώβ Βαιθήλ.

VI. Pariter LXX. malæ fidei frustra & sine ratione accusantur Genes. XIII. 13. *Et viri Sodomorum mali, & peccatores in conspectu Dei vehementer.* Superfluè, inquit Hieronymus, hic in LXX. Interpretibus additum est in conspectu Dei; si quidem Sodomorum coloni apud homines mali & peccatores erant. Ille autem dicitur in conspectu Dei peccator, qui potest apud homines justus videri. At certe illa verba *in conspectu Dei*, non sunt superflue addita, sed ad interpretandum הַיְהוָה in Hebræo. Neque mala est interpretatio, si accipiamus הַיְהוָה pro הַיְהוָה יְהוָה, ita Chald. מִן הַיְהוָה, ita Vulg. *peccatores coram Domino nimis.*

VII.

VII. Quid quod Doctissimus Pater Aquilam *profely-
tum contentiosum*, Symmachum & Theodotionem *Judai-
zantes hereticos* sæpe sequitur, & LXX Interpretibus præ-
fert, ubi nulla omnino præferendi ratio comparet? Ut
Ps. 49. 7. *Pro eo quod nos diximus turbati sumus, Sym-
machus & Aquila transtulerunt acceleravimus: & paulo
post; Pulchrè autem, non ut in LXX habetur, tur-
bati sumus, sed juxta Hebraicum acceleravimus, dicitur.*
Imò verò *juxta Hebraicum* ἐταράχθημεν *turbati sumus* dici-
tur, id enim omnino נבהלנו sonat. Licet enim בהל in
Piel aut Hiphil *festinare, aut accelerare* significet, in Ni-
phal tamen, *subito terrere, percelli, & conturbari* denotat.
Ut Psalm. VI. 3. רפנני יהוה כי נבהלנו עצמי: ונפשי נבהלה מאד
Ἰασαί με Κύριε, ὅτι ἐταράχθη τὰ ὀσά μου, καὶ ἡ ψυχὴ μου ἐταράχθη
σφόδρα. Quem ipse S. Hieronymus *juxta Hebraicam ve-
ritatem ita transtulit, Saname, Domine, quoniam contur-
bata sunt ossa mea, & anima mea conturbata est valde.* Et
Psalm. 48. 6. נחפזו נבהלו ἐταράχθησαν, ἐσαλεύθησαν. Hie-
ron. *conturbati sunt, admirati sunt.* Imò quod ulterius
observandum est, ipse Doctissimus Pater, qui in Epistolâ
ad Cyprianum ita *Versionem LXX. vituperat, in versio-
ne sua juxta Hebraicam veritatem Seniores sequitur. Con-
sumti sumus in furore tuo, & in indignatione tua conturba-
ti sumus.*

IIIX. Genes. 38. 5. *Vetus Latina Versio ex LXX
Hæc autem erat in Chazi quando peperit eum. Ad quæ ver-
ba S. Hieron. Traditionibus Hebraicis in Genesin, Verbum
Hebræum hic pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro-
re transtulit dicens: Et factum est ut mentiretur in partu
postquam genuit eam. Postquam enim genuit Selom, stetit
partus ejus. כובי Chazbi ergo non nomen loci, sed mendaci-
um*

um dicitur. At nec כזיב in Hebræo legitur: nec mendacium, si ita legeretur, significaret, quod est כזב neque היה כזיב exponi possunt, Et factum est in mentiando, si-
 ve ut mentiretur, cum כזיב infinitivi formam non ha-
 beat. Vocabulum loci agnoscit Onkelos, & cum eo R. Salomon & Aben Ezra. Eusebius diserte libro de locis Hebraicis, χασβεί, ἔνθα ἐπήχθησαν ita Euseb. à Bonfrerio e-
 ditus, sed rectius MS. noster, χασβί, ἔνθα ἐτέχθησαν τῷ Ἰσάακ παῖδες, δεικνύται νῦν ἐν ἐρίοις ἐλευθεροπόλεως ἔρημου πλησίον Ὀδολλάμ. Frustra igitur hic Aquila Senioribus præfertur, & vulgata Versio immerito S. Hieronymum est sequuta, quo nato parere ultra cessavit.

IX. Genes. II. 8. מִקְרָן בְּעֵרְן גַּן אֱלֹהִים וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים לְחַדְשׁוֹ
 LXX καὶ ἐφύτισσε κύριος ὁ θεὸς ἑδέμσον ἐν Ἐδέμ κατὰ ἀνατο-
 λὰς. Omnia propriè atq; perspicuè. Ad hæc S. Hierony-
 mus, pro Paradiso in Hebræo hortum habet, id est gan. At erat hortus ille arborum omni genere confitus, qui certe est παράδεισος. Quod vocabulum & locum hunc si-
 ne dubio rectè expresit, & ad superiorem sensum in N. T. ideo est accommodatum. Porro, inquit, Eden יְרֵעַ deli-
 ciæ interpretantur. Rectè, ita Hesych. ἔδεμ, τροφή. Et Suidas voce παράδεισος. Ἐδεμ δὲ τροφή ἐρμηνεύεται, lege τροφή. Ita Patres, pro quo Symmachus transtulit paradisum flo-
 rentem. At hoc minus rectè; licet enim יְרֵעַ delicias deno-
 tet, hic tamen nomen loci est, quod ex adjuncta præposi-
 tione patet: יְרֵעַ גַּן non est Paradisus florens, neque יְרֵעַ ad גַּן proximè spectat sed ad יְרֵעַ referri debet. Et nomen lo-
 ci esse perspicuum est ex iis, quæ dicuntur de Caino Gen. VI. 16. καὶ ὤκησεν ἐν γῆ Ναιὶδ κατέναντι Ἐδέμ Rectè Euseb. de locis Hebraicis, Ἐδέμ, ὁ τῶν θεῶν παραδείσος τόπος εἰς ἀνατο-
 λὰς, ἐρμηνεύεται δὲ τροφή. Sed progreditur Doctissimus Pater,
 nec

nec non quod sequitur contra orientem, in Hebræo Mike-
dem מִקְדֵּם scribitur, quod Aquila posuit ἀπὸ ἀρχῆς, & nos
ab Exordio possumus dicere: Symmachus vero ἐκ πρώτης, &
Theodotion ἐν πρώτοις, quod & ipsum non orientem, sed prin-
cipium significat. Ex quo manifestissime comprobatur,
quod priusquam cælum & terram Deus faceret, paradisum
ante condiderat, sicut & legitur in Hebræo plantaverat au-
tem Deus Paradisum in Eden à principio. Ita doctissimus
Pater in sententiam incidit, Judaicorum Interpretum gra-
tiâ ductus, cui nec Judæi ipsi favent.

X. Ex eodem fonte fluxerunt aliæ adversus Senio-
rum Interpretationem exceptiones. LXX Gen. XXXIII.
2. καὶ διείλεν, (vel διείλεν) Ἰακώβ πρὸς τὰ παῖδια ἑπὶ Λείαν, καὶ ἑπὶ
Ραχὴλ, καὶ (ἑπὶ) τὰς δύο παῖδισσας. Et divisit pueros super
Leam, & super Rachel, & super duas ancillas. Ad hæc
verba S. Hieronymus Traditionibus Hebraicis. Non ut
plerique existimant, tres turmas fecit, sed duas. Denique
ubi nos habemus divisit, Aquila posuit ἡμίσευσεν, id est di-
midiauit; ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis
suis, & alium Leæ & Rachel, quæ liberae erant, cum filiis ea-
rum. At melius LXX Hebræum וַיִּדְּוֹל transtulerunt di-
visit, quam Aquila, dimidiauit; est enim חצה simpliciter
dividere, in quocumque partes divisio fiat, ut Jud. IX. 43.
וַיִּקַּח אֶת-הָעָם וַיַּחְצֵם לְשֵׁלֶשָׁה חָיִים. Et tulit exercitum su-
um, & divisit in tres turmas. Et Dan. XI. 4. תִּשְׁבַּר מַלְחֹתָיו
וְתִחַץ לְאַרְבַּע רוּחוֹת הַשָּׁמַיִם. Conteretur regnum ejus & di-
videtur in quatuor ventos cæli. Et quod hoc ipso loco
Jacobus dividerit filios suos in tres turmas, ex ipso textu
patet; divisit enim super Leam & super Rachel & super
duas ancillas v. i. Et posuit utramque ancillam & liberos ea-
rum in principio, Leam vero & filios ejus in secundo loco.
(Hebr.

(Hebr. אהרני i. e. primis posteriores) v. 2. Et appropinquantes ancilla & filii earum incurvati sunt, v. 6. Accessit quoque Lea cum pueris suis, & cum similiter adorassent, extremi (Heb. ואהר Chald. ובתר כן LXX καὶ μετὰ ταῦτα) appropinquantes Joseph & Rachel adoraverunt, v. 7.

XI. Quid quod S. Hieronymus Interpretationem LXX tanquam impropriam sæpe rejicit, vel quod malè ante ipsam fuerit Latinè explicata, vel quod eam ipse minus rectè intellexerit. Cum enim hæc Græca Versio prioribus Ecclesiæ sæculis fuerit sæpius translata, idque ab iis factum sit, qui Linguæ Hebraicæ ignari, eam cum textu Authentico conferre non potuerunt; fieri non potuit, quin multa aliter Latinè exprimerentur, quam Græca verba, quæ Hebræis semper respondebant, sonarent. Ut Psalm. 127. 2. ἴσες πόνους τῶν καρπῶν σε φάγεσαι, Veteres translulerunt, *Labores fructuum tuorum manducabis*; sensu nullo, cum in hoc loco non LXX Interpretes, sed Latini de Græci verbi ambiguitate decepti; καρπὸς fructus magis quam manus interpretati sint, cum καρποὶ manus quoque dicantur, quod Hebræo ponitur Capbeca כפץ ut rectè disserit S. Hieronymus Epist. 141. כפץ enim proprie vola quæ est καρπός. Plena loquutio 1. Sam. V. 4. וידו כפץ וידו כפץ οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτῶν Rectè Theodoretus, ὁ δὲ σύμμαχος, κόπον χειρῶν σε ἐσθίων ὡς εἶναι δῆλον ἔτι καὶ οἱ ἑβδομήκοντα καρπὸς, ἢ τὴν ὀπικαρπίαν ἐκάλεσαν ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν. Quod ideo fuit notandum, quia hic Latini Interpretis error pro correctione fædam Senioribus corruptionem intulit. Cum enim putarent melius dici *fructus laborum* aliquem manducare, quam *labores fructuum*, etiam Græco textui vim intulerunt & pro τὰς πόνους τῶν καρπῶν σε scripserunt τὰς καρπὸς τῶν πόνων σε, ut in vetustissimo Alexandrino MS. legitur.

XI. Ma-

XI. Malè igitur aliquando LXX. in Latinum Sermonem sunt translati, & S. Hieronymus malam Translationem fecutus, non Latino Interpreti, sed Senioribus ipsis imputat. Ut Gen. XXXIV. 25. *Et introgressi sunt civitatem diligenter, & interfecerunt omnem masculum.* Ad quæ verba Doctissimus Pater, *Pro eo quod in Græcis legitur ἀσφαλῶς id est, diligenter, in Hebræo scriptum est, בטב beta i. audacter & confidenter.* At ἀσφαλῶς non rectè vertitur *diligenter*; multo minus eo sensu hic capiendi sunt Seniores, qui Hebraicum בטב optimè expriment, sive ad Sichemitas, cum Paraphraste Chaldaico, sive ad Jacobi filios referatur. Est enim בטב propriè ἀσφάλεια id est, non *diligentia, sed securitas*, & בטבל five per ellipfin, בטב ἀσφαλῶς securè, ut Levit. XXVI. 5. כבדו את ה' ואת הארץ ואת הבית ואת הארץ ואת הכתובים ואת הכתובים ואת הכתובים καὶ κατοικήσετε בטבל μετὰ ἀσφαλείας ἐπὶ τῆς γῆς ὑμῶν. Habitabant Sichemitæ בטב securè, nihil mali metuentes; & ingressi sunt Jacobi filii, בטב securè i. e. *sine periculo.*

XII. Legimus Genes. XLIX. 21. νεφθαλὶ σέλεχθ ἀνειμένον ἐπιδιδῶς ἐν τῷ γεννήματι κάλλθ. Quæ verba sic Latine exhibet S. Hieronymus, *Neptholim virgultum resolutum dans in generatione pulchritudinem.* At neque σέλεχθ *virgultum*, neque ἀνειμένον *resolutum*, neque γέννημα *generationem* significat. Ita Græcis Latina minimè respondent. Melius multo Latine versa extant apud Ruffinum l. 2. de Benedictionibus. *Arbor remissa, al. emissa* (velut nostra exemplaria habent) *vitis diffusa, proferens in fructibus decorem*: & rursus, vel *arbor diffusa, vel vitis.* Apud S. Ambrosium; *Nephtalim vitis remissa porrigens in germine decorem.* Στέλεχος certe non est *virgultum*, quod propriè est à virgula, ut à salice *salictum*: Gloss. virgulta, βλασηματα, θάμοι

B

θάμοι

θάμνοι, & Græco-Latin. βλάσημα, *germen*, *virgultum*. Hic autem שֶׁלֶךְ aut arbor ipsa, aut ejus truncus, ex quo τα βλασηματα five virgulta: הֵלֵךְ enim arbor; ἀνείμειν etiam non *resolutum* est, aut *remissum*, sed ab ἀνίημι , quod *emitte-re* & *proferre* denotat, & ad plantas cum spectat, germinationem significat, & Hebræo הֵלֵךְ optimè respondet, ut Ps. xxc, 12. $\text{יָמִים קָצִירָהּ הֵלֵךְ}$ & Ezech. XVII. 6. $\text{וַתֵּשֶׁבֶת פָּתָרָהּ}$ & *emisit propagines*. Et Jerem. XVII. 8. $\text{וְעַל יוֹבֵל יִשְׁלַח שָׁרְשָׁיו}$ Vulg. *ad humorem mittit radices suas*. Ita Dioscorides de Xiphio l. 4. c. 2. $\text{καυλὸν δὲ ἀνίησι πηχυαῖον, καρπὸν δὲ στρογγύλον, εἶζας β.}$ Est igitur שֶׁלֶךְ ἀνείμειν הֵלֵךְ הֵלֵךְ arbor vel truncus emissus, diffusus, germinans, propagines emittens: cui optimè respondet γέννημα , illud sc. quod emittitur, five *fructus*, ut Ruffinus, five *germen* potius, ut Ambrosius: *ramum* enim vel *frondem* significare videtur, ut respondeat נֶמֶר Atque ita hæc plana sunt, ut *designet historia*, *Nephtalim rura possedisse arboribus nemorosa*, ut loquitur Ruffinus. Cum si הֵלֵךְ הֵלֵךְ cum S. Hieronymo, five *agrum irriguum*, five *cervum emissum* interpreteris, posteriorem partem vaticinii cum priori vix conciliaveris.

XIII. Rebeccam ita alloquitur Jacobus Genes. XXVII. 12. $\text{Μήποτε ψηλαφήση με ὁ πατήρ μου, καὶ ἔσομαι ἐναντίον αὐτοῦ ὡς καταφρονῶν.}$ Vers. Latin. Rom. *Ne forte attrectet me pater, & ero in conspectu ejus quasi spernens*. Ubi primum μήποτε non est, ne forte sed forte, idem quod Hebræum הֵלֵךְ ita enim Græci cum dubitant loqui solent; At vero quare Jacobus vereatur, ne appareat Patri *quasi spernens*, non video; non hanc expositionem vox Hebræa, non res ipsa admittit, sed alium omnino sensum postulat. Melius fortasse dices בַּמַּעֲזָבִים ab Aquila versum, ὡς καταμωκώωμαι ut *irridens*, aut à Symmacho, ὡς καταπαίζων , ut *illudens*, quem

quem secutus est Vulgatus Interpres, quam à LXX ὡς καταφρονῶν, ut *spernens*. Et recte quidem, si καταφρονῶν tam frigide interpretemur. Est sane ea vocis Græcæ usitata significatio, sed non sola, nec huic loco accommoda. LXX alibi vocem hanc Hebræam per *מַכְאִלִים* & *ἐμπαίζειν* translulere, unde suam interpretationem Aquila & Symmachus hauserunt: hic autem καταφρονῶν potius usurparunt, ut huic loco magis accommodum. Hesych. καταφρονέων, καταβλευόμενος, adversus aliquem consilium capiens, insidias struens, dolose affectans, ut de Pisistrato loquitur Herodotus, καταφρονήσας τὴν τυραννίδα ἤγειρε τρίτην εἴσιν, *dolose affectans tyrannidem, tertiam seditionem excitavit*. Est itaque καταφρονῶν idem quod *ἑπιβροχῶν*, *insidiator, deceptor, impostor, prævaricator*. Ut Proverb. XIII. 15. σύνεσις ἀγαθὴ εἰδωσι χάριν ὁδοὶ δὲ καταφρονέωντων (Hebr. *בגדלים* *subdolorum, impostorum, callidè & perfide agentium*, non autem *contemnendum*, ut vulgo redditur) ἐν ἀπωλείᾳ Et Soph. III. 4. οἱ προφηταὶ αὐτῆς πνευματοφόροι ἄνδρες καταφρονῆται, *Propheta ejus* (non *portantes Spiritum*, ut vulgò, *πνευματοφόροι* sed *פוחים* *πνευματοφόροι* quasi *vento lati, desultorii*, ac) *leves*; viri (non *contemptores* sed *בגדלים* *אנשי בגדלים* id est) *prævaricatores*.

XIV. Neque tantum LXX viralis versio ad intelligendum textum Hebræum utilis est imprimis, & per quam necessaria, sed etiã ad ipsum textum confirmandum, etiam eum aliquando, quem nunc habemus, Masoretharum diligentia conservatum, saltem quod ad literas spectat. Ut Gen. XIV. 5 habemus scriptum *בַּח*, at ætate S. Hieronymi legebatur, (ab ipso saltem) *בַּח*. Ita ipse testatur in traditionibus Hebraicis. Porro *בַּח* pro quo *dixerunt* (LXX) *ἀμὰ αὐτοῖς hoc est cum eis, putaverunt scri-*

bi per ה he, ducti elementi similitudine, cum per ה scriptum sit. Beham enim cum per tres literas scribitur, si mediam ה habet, interpretatur in eis, si autem ה heht, ut in presenti, locum significat, id est in Ham. Aliter igitur legebat S. Hieronymus, quam nos nunc legimus: ille חה, nos בה; sed lectioni hodiernæ patrocinantur LXX Interpretes, qui iisdem literis quibus & nos, בה legerunt, ut & Codex Hebræorum Samaritanus; neque de loco qui diceretur Ham, puto, uspiam legitur.

XV. Si igitur LXX Seniorum fama sine ratione non læderetur, si Judaizantes Hæretici sine causa iis haud præponerentur, si ipsi ex Græcæ linguæ copia & collatione cum Hebræo Codice rectè intelligerentur, si denique non solum quoties ab hodierno Textu discrepare videntur, sed etiã quoties cum eo consentiunt, ejusdemq; lectionem literarum stabiliunt, perpenderemus, eorum Versiōnem ad Mosen & Prophetas probè intelligendos plurimum valere nemo unquam dubitaret.

XVI. Secundo, Versio LXX Viralis magni semper æstimanda, & in promptu Theologis habenda, quo testimonia ab Apostolis reliquisque Novi Fœderis Scriptoribus ad probandum Jesum esse Christum, & veritatem Christianæ religionis illustrandam, ex Veteri Testamento deprompta confirmantur & ab omni exceptione liberentur. Hoc enim generaliter observandum, quod ubicunque SS. Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur (id est utuntur) quæ jam fuerunt in gentibus divulgata (sc. ex interpretatione LXX) ut loquitur S. Hieronymus. Et rectè quidem observatum est Apostolos & Apostolicos viros, testimonia ex Græco usurpasse, cum loquerentur ad populos; non tamen hoc cum restrictione accipi-

accipiendum, ad quoscunque enim loquuntur aut quocunque modo scribunt, sæpe testimonia ex Seniorum Versione depromunt. S. Irenæus l. 3. c. 25. *Etenim Apostoli, cum sint bis omnibus vetustiores consonant prædictæ Interpretationi, & Interpretatio consonat Apostolorum Traditioni. Etenim Petrus & Johannes & Matthæus & Paulus & reliqui deinceps, & horum sectatores prophetica omnia ita enunciauerunt, quemadmodum Seniorum Interpretatio continet.* Quæ verba licet quod ad loca spectat, nimis universaliter dicta videantur, quod tamen ad Authores attinet sunt verissima. *Omnes enim plerumq; ubi Vetus Instrumentum advocant, Seniorum verbis loquuntur; neque an rectè id fecerint dubitare nos finit Spiritus quo scripsere.* Hoc autem consilium Dei, qui per Scriptores N. Testamenti loquitur, summâ cum veneratione recipiendum est: testimoniaque ab iis producta omni modo defendere nos potius decet, quam Apostolos, reliquosq; Scriptores Sacros, ut aliqui loquuntur, *excusare.*

XVII. Legimus Hebræor. IIX. 9. (ubi Apostolus non loquitur ad populos, neque Gentes, quibus sola Græca Scriptura erat divulgata, sed Hebræos affatur & Christum Mosis, & Novum Veteri Fœderi præferendum probat) *Nam si illud prius culpâ vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans autem eos dicit &c. ὅτι αὐτοὶ σὺν ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μὲν, κατὰ ἡμέλησα αὐτῶν, λέγει κύριος.* Quæ sunt ipsissima LXX verba, ad argumentum Apostoli accommodata, ex Jerem. XXXI. 32. quæ rem ipsam optimè explicant, & discrimen inter duo fœdera ostendunt, & Judæos Legi Mosaicæ adhærentes à Deo rejectos docent, ubi non est excusandus Apostolus, sed defendenda LXX viralis versio; quæ autoritate Apostoli corroboratur.

ratur. Neque hic admittendus est vulgatus Interpres, licet S. Hieronymum secutus, qui hunc locum ita repræsentat, *pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus*; aut paraphrastes Chaldaicus, qui reddit *וְאֵנָּה אֶתְרַעְתִּי בְהוֹן* & *ego complacui mihi in eis*: hæc enim interpretatione non tantum Judæorum rejectio obscuratur, sed & Veteris & Novi Fœderis discrepantia tollitur, ut ipsi etiam Interpretes Judaici fatentur. Est igitur omnino Græca versio defendenda; idque faciendum sine præjudicio Textûs Hebraici: Neque enim legendum cum Capello *גַּעַלְתִּי בָם* (quod nusquam legitur, sed potius *גַּעַלְתִּים*) neque cum Hugone Grotio dicendum LXX. legisse *בַּחֲלֵתִי* quæ vox semel quidem reperitur, cum *ב* conjuncta, Zach. XI. 8. *וְגַם נַפְשֵׁי בַחֲלֵתִי בִי* quem locum ita interpretati sunt LXX *καὶ γὰρ αἱ ψυχὰς αὐτῶν ἐπωροῦντο ἐπ' ἐμὲ, si quidem & animæ eorum rugiebant super me*, ut Theodoretus accepit, qui ita sensum expresit, *ἐπειδὴν τοῖνυν θηριοδῶς μοι προσήλθον ἰονεὶ βρυχώμενοι καὶ τὴν ἐμὴν διψῶντες σφαγῆν*. vel, ut in aliquibus libris legitur, *ἐπορεύοντο*, uti forte legebat S. Hieronymus, qui Latine in hunc modum exhibet, *siquidem & animæ eorum irruebant super me*. Quocunque modo legas verisimile non est LXX Interpretes, qui locum Zachariæ ita sunt interpretati, apud Jeremiam legisse *בַּחֲלֵתִי*. Et Seniores procul dubio *בַּעַלְתִּי* ἡμέλησαι transtulerunt, cum & Judæis asserentibus, & Arabica lingua testante, *בעל* *aspernari, fastidire, repudiare*, significet, & contextus ipse hanc significationem postulet.

XIIX. Insignis locus est Hebr. X. 28. *ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται καὶ εἰάν τις ὑποσείληται, σὺν εὐδοκίᾳ ἡ ψυχὴ μου ἐν αὐτῷ*, quibus verbis tanquã fundamento utitur, dum Hebræos ad perseverantiam cohortatur. Sumta autem sunt ex Haba. II. 4. ordi-

ordine tantum inverso, quo melius eos à lapsu deterreat; idque secundum Versionem LXX. Quod ideo fuit notandum, ut perspicere possimus, qualis sit illa observatio S. Hieronymi quam ad hunc Prophetæ locum protulit. *Porrò quod Apostolus LXX magis testimonio abusus est ad Romanos scribens, justus autem ex fide mea vivet, & non eo quod habetur in Hebraico, causa perspicua est. Scribebat enim Romanis, qui Scripturas Hebraicas nesciebant; nec erat ei cur de verbis, cum sensus esset in tuto, & damnum ex eo præsens disputatio non haberet. Alioqui, ubicunque diversus est sensus, & aliter scriptus est in Hebraico, aliter in LXX, nota eum bis uti testimoniis, quæ à Gamaliele Doctore legis didicerat.* Ubi observandum primò legisse S. Hieronymum c. l. v. 17. ad Rom. *ex fide mea*, cum nec in Græcis, nec in Latinis Codicibus ita nunc legatur, sed *ex fide* tantum. Id autem mirum alicui videatur, quod Doctissimus Pater, qui alibi solum S. Lucam testimoniis ex LXX deductis, ubi ab Hebræo discrepant, abuti contendit, id nunc de S. Paulo concedat, & rationem reddat, quod Romanis scriberet, qui *Scripturas Hebraicas nesciebant*; ac si Corinthii, Galathæ, Ephesii reliquique magis Hebraicam Linguam callerent, quàm Romani. Mirum adhuc magis, quod asserat S. Paulum alibi semper ex Hebraico testimonia petere, cum ipse testetur. *Pauli idcirco ad Hebræos epistolæ contradicendum esse, quod ad Hebræos scribens utatur testimoniis, quæ in Hebræis voluminibus non habentur.* Mirum denique quod solum locum ad Romanos citet, cum hic ad Hebræos multo plura ex LXX habeat, eaque ab Hebraico, uti à S. Hieronymo intelligitur, multum diversa. Ita enim LXX *εάν ὑπὸς εἴληται, σὺν εὐδοκίᾳ ἢ ψυχῆ μὲν ἐν αὐτῷ ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μὲν ζήσεται*, vel ut MS. Alex.

Alex.

Alex. ὁ δὲ δίκαιός μὴ ἐκ πίστεως ζήσεται. At aliter sonabant Hebraica, vertente S. Hieronymo, *ecce, qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet.* Neque hic excusandus Apostolus, sed potius LXX viralis Versio probanda ac defendenda est. S. quidem Hieronymus *הנה עפלה ecce qui incredulus est* transtulit, sensum magis quam verba respiciens; at cum *בו* vertit *in semetipso*, alienam plane à mente Apostoli sententiam est amplexus: cum vero idem *בו* in Commentario referat ad visionem præcedentem, multò adhuc magis cum à LXX tum ab Apostolo recedit. Verba ejus sunt, LXX dicentes *γέψον ὄρασον id est, scribe visionem, & postea, si defecerit sustine eum, quia veniens veniet & non tardabit; si subtraxerit se, non placebit animæ meæ in eo, primum interpretati sunt visionem, genere fœminino, quæ apud Hebræos generis masculini est, Deinde secundum Hebraicum genus, ubi declinatur masculine, sustine eum, & non placebit animæ meæ in eo, ipsi quoq; masculino genere declina verunt: cum ubique debuerint juxta id quod primum interpretati sunt, visionem, etiam in reliquis fœmininum genus ponere visionis, ut dicerent expecta eam, quia veniens veniet, quod si se subtraxerit, non placebit animæ meæ in ea, id est in visione.* Mira hæc quidem explicatio Prophetæ, mira increpatio Seniorum. Neque vero moderna literalis expositio melior est, *Ecce elata est, non recta anima ejus in eo;* quæ quo referenda sint, aut ad quem finem dicta, quis divinare potest? Nos quidem textum Hebræum non sollicitamus; sed secundum mentem Seniorum explicandum contendimus: *עפל* enim non tantum *elatum esse*, sed & *subducere se & occultare* significat, & cum nominis naturam induit, non tantum locum *excelsum & munitum*, sed *etiam*

etiam

etiam obscurum absconditumq; denotat, ut 2 Reg. V. 24.
 עַל וַיִּבֶן לָהּ וַיִּבֶן לָהּ וַיִּבֶן לָהּ καὶ ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινόν, vel ut Paraphraſtes
 Chaldaicus, עַל לְאִתְרֵי כְסִי, ut 2 Paral. XXXIII. 14. &
 πὸ ἄδυτον & τὸ ὄπελ habemus: & Mich. IV. 7. turris עַל
 LXX dicitur ἀνχυμώδης, S. Hieronymo *nebulosa*. Est
 igitur עַל *se subtrahere* præ metu & *occultare*, quod est
 ὑποσείλασθαι. Hesych. & Suidas ὑποσειλάμην, ὑποκευ-
 ψάμην, φοβηθεῖς. Rectè igitur עַל הַנָּה reddi potest,
Ecce subducitur, vel accipiendo הַנָּה ut הַן Chaldaicè su-
 mitur, si *subductio*, vel ὑποσολή fiat, id est, *si quis se subdu-*
cat, εἰ ἂν ὑποσειληται. וַיִּשְׂרֵי autem sæpissimè ἀρέσκειν deno-
 tat, ut Num. XXIII. 27. אֲנִי יְהוָה יִשְׂרָאֵל בְּעֵינֵי הָאֱלֹהִים εἰ
 ἀρέσκῃ τῷ θεῷ. Chaldaicus Paraphraſtes אֲנִי יְהוָה יִשְׂרָאֵל בְּעֵינֵי הָאֱלֹהִים
 וַיִּקְרָא & Deut. VI. 18. וַיִּשְׂרֵי יַעֲשֶׂה ה' וְיִשְׂרֵי ה' καὶ ποιήσεις τὸ ἀρεσκόν,
 & *fac quod placitum est*. Sive igitur וַיִּשְׂרֵי five נִפְשׁוּ legamus,
 facto à persona ad personam transitu, qui
 Interpretibus frequens est, rectè hæc verba, הַנָּה עַל הַנָּה
 לְאִתְרֵי כְסִי ita transferentur, *si quis se subtraxe-*
rit, ille animo meo gratus non erit. Illa autem verba,
 cum Græcè, inverso ordine, ab Apostolo usurpantur,
 à Theodoro Beza haud bona fide sunt translata; *Justus*
autem ex fide vivet; at si quis se subduxerit, non est gra-
tum animo meo. Cum enim pars posterior versiculi
 ad *justum* pertineat, ut rectè Theophilactus, εἰ ἂν δὲ ὑπο-
 σείληται ὁ δίκαιος, Beza eum duplici ratione excludere
 conatus est, primum interserendo pronomen *quis*,
 secundo ἐν αὐτῷ à persona, cui competit, ad factum
 transferendo. Ex quo loco, quam suspecta esse debeat
 ejus Translatio, nemo nescit, qui quibus opinionibus
 in Theologia adhæserit, novit. Utcunque sit, Scri-
 ptiores Novi Testamenti Spiritu S. actos, cum ubique
 C fere

fere testimonia ex Veteri Fœdere ipsis LXX verbis depromant, non tam excusandos esse sentio, quod nimis est dilutum: quin potius videndum an non textus Hebraicus eorum Interpretationem ferre possit, quo & Veteris Testamenti sensus rectius intelligatur, & Novi auctoritas magis confirmetur.

XIX. Tertio, LXX viralis Versio non tantum ad auctoritatem Apostolorum conservandam plurimum valet, verum etiam ad Novum Instrumentum rectè intelligendum, & accurate explicandū perquam necessaria est. Scriptores enim sacri Novi Fœderis non tantum ex Veteri frequenter testimonia producunt, sed etiam Mosē & Prophetas ubiq; Christianæ Doctrinæ accommodant, resque Hæbraico sermone ante descriptas Græcis verbis tradunt; quod fieri haud aliter forte potuit, quàm ut modi, formulæque loquendi Hebræis familiares, Græcis incognitæ aut saltem inusitatæ, redderent eorum scripta iis, qui Græcè tantum scirent obscuriora. Hæc autem obscuritas tolli aut illustrari nullo alio modo potuit, quam ex scientia idiomatum Linguae Hæbraicæ, qua conscripti Codices Prophetici, quos Apostoli ubique fere respiciunt, & qua locuti sunt Christi tempore Judæi, ab antiquiori puriorique aliquantum deflexâ, ad quorū mores modosq; loquendi disferendique sæpe sermonem accommodant. Hinc autem evenire necesse fuit ut Græca Veteris Instrumenti Versio ad scripta Apostolica intelligenda plurimum conferret. In illam enim omnes Idiotismi Veteris linguæ Hebraicæ erant transfusi, in illâ Prophetarum sensus Græcè explicati; illi homines Græci, quibus cum præcipuè Apostolis
nego-

negotium fuit, diu fuerant assueti; eamque primò Divinâ providentiâ factam par est credere, ut qui passim & ubique eam legissent, ad percipienda Apostolorum dogmata, sermonesque intelligendos fierent aptiores.

XX. Multa itaq; Græca sunt in Novo Fædere vocabula quæ ex usu Græcæ linguæ intelligi non possunt, ex collatione autem cum Hebræa, & ex usu LXX Interpretū facile intelliguntur. Quid σαρκίς, quid πνεῦμα, apud Græcos scriptores denotet, nemo nescit; at si omnes in universum sensus, quibus his vocabulis Græci usi sunt, rescenseantur, nullus omnino invenietur qui mentem Apostolorum attinget. Cum enim רבֿשֿׁ carnem proprie significet, eadem tamen vox ab Hebræis non nunquam pro *homine* ipso, aliquando pro *humana natura*, sæpe pro ejusdem naturæ *imbecillitate*, aut etiam *viciositate* usurpetur, & in hac sensuum varietate unicâ voce σαρκίς à LXX reddatur; hinc evenire necesse est ut, quoties Apostoli eo sensu usurpant, quem Græci veteres haud agnoverunt, ex Hebræo idiomate & Versione LXX explicetur. Ut celebratissimo loco legitur, ὁ λόγος σαρκίς ἐγένετο, quod sine ulla veterum Græcorū autoritate & tamen rectè redditur *Et verbum* five *sermo homo factus est*, five *humanam naturam induit*. Et ἐξ ἔργων νόμος ἐδικαιώθησται πᾶσα σὰρξ i. e. *homo quisquam* ut Ps. 144. 22. Ἐυλογεῖτω πᾶσα σὰρξ τὸ ὄνομα τὸ ἅγιον. Hinc Phrases modique loquendi Græcis incogniti, Φρόνημα τῆς σαρκός, ἐν σαρκί & κτὶ σάρκα εἶναι, κτὶ σάρκα περιπατεῖν, similesque plures. Ita cum חַיִּים satis proprie πνεῦμα, qualiter à Veteribus Græcis usurpatur, denotet, & præterea etiam apud Hebræos multa alia significata contineat, quæ apud Græcos haud comparent, cum

Apostoli eo sensu usurpârunt, quem Græci Veteres haud agnoverunt, ex Hebræo idiomate & Versione LXX explicandi sunt: ut Joh. III. 6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκός, σὺν τῷ πνεύματι καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμα ἐστίν. Unde sciemus quid sit ῥῆμα Luc. I. 37. ὅτι ἀδυνατίσεις ὡρᾶ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα nisi meminimus scriptum Gen. X. 14. הַיְפֹלָה מִיְהוּהוּ דַבָּר, quod LXX transtulerunt, μὴ ἀδυνατίσεις ὡρᾶ τῷ θεῷ ῥῆμα; cum דַבָּר non tantum *verbum* sed *rem* seu *negotium* denotet? Unde cognosceremus quam vim apud Apostolum habeant τὸ δικαίον & τὸ δικαιοσύνη, nisi דִקָא ea significatione usurpassent Hebræi, & iis verbis LXX reddidissent. Frustra apud Veteres Græcos quæras quid sit πιστεύειν τῷ θεῷ, vel εἰς τὸν θεόν, quid sit, εἰς τὸν κύριον, vel πρὸς τὸν θεόν πίστις, quæ toties in Novo Fœdere inculcantur, & ex lectione Seniorum facile intelliguntur. Quid esset ἀσεΐον τῷ θεῷ Act. VII. 20. unde conjiceremus nisi LXX Hebræa וַתֵּרָא אֶת־כִּי טוֹב Quis τὸν κύριον pro Domino Deo accipiendum putaret, nisi ita Seniores loquenti essent, quibus κύριος est ὁ ὢν. Verum hæc leviter tangere, quam latius prosequi potius esse duximus; sunt enim pene infinita.

XXI. Neque vero Sacra Scriptura tantum futuro Theologo pernoscenda, sed & Ecclesiæ tot ubique sacrarum literarum testimoniis suffultæ, status cognoscendus, & SS. Patrum in hunc potissimum finem evolvenda volumina. Quod si Græcos Patres consuluerimus, quis eos de rebus divinis differentes intelliget, qui normam, quam semper in animo, dum scriberent, habuere, non ante cognitam atque perspectam habeat? Aut quæ illis Scriptura Veteris Testamenti
inno-

innotuit, præter eam quæ à LXX Senioribus edita est? Illam sane, illam ubique respiciunt; illius autoritate nituntur, illius verba recitant, sententiam referunt, ut in Patrum operibus legendis cæcus planè sit, qui eandem non noverit. Quis illas Clementis Romani, Apostolorum discipuli intelliget, ὅτι ἐὰν ἐρθῶς προσενέγκης, ἐρθῶς δὲ μὴ διέλγης, ἡμαρτες; ἡσύχασον, quis illa quæ sequuntur ut ex sacris Oraculis deprompta agnoscat, καὶ εἶπεν καὶ ἰὼν πρὸς Ἀβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, Διέλθωμεν εἰς πεδίον, nisi lacunam Hebræorum Codicum observet, & LXX Versionem consulat, cui & Samaritanus & Syrus suffragantur? Patricius Iunius, licet Græcè, doctissimus hæc S. Clementis verba, τὸ κύμα τῆς ἀπέριεθ θαλάσσης κατὰ τὴν δημιουργίαν αὐτῆς συσπυρῆν εἰς τὰς συναγωγὰς ἔπιπυρεκβάνας τὰ περὶ τεθεμεμένα αὐτῆ κλεῖθρα, minus bene translulit, *Immensi maris profunditas in cumulos coacervata claustra & repagula quibus vallatur, non transgreditur*, quod haud perciperet Patrum antiquissimum creationem respexisse, & LXX Interpretum verba usurpasse, quæ in Hebræo non habentur, Gen. I. 9. ἡ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τῆς ἐρανῆ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν. Licet enim S. Basilus observet hæc verba fuisse obelo notata, nec in Hebræo Codice reperiantur, patet tamen, ea ad Interpretationem LXX pertinere, & ad ipsa S. Clementem respexisse; & objectio ab Origine facta à Johanne Philopono jam dudum est diluta. In hunc igitur modum sententia S. Clementis fuit potius conformanda, *Moles immensi maris in ipsa sui creatione in congregationes suas collecta, repagula sibi circumposita non transgreditur.* Clementis Alexandrini Στρωματεῖς cum ex variis Autorum Veterum sententiis, tum vero

præcipuè ex Sacris Scripturis sunt contexti: nec ullibi magis obscuri redduntur, quam ubi Seniorum verba haud notantur, & à reliquis distinguuntur. Lib. I. παιδεία δὲ ἀνεξέλεγκτος πλανᾷται, Interprete Herveto, *Disciplina vagatur inconfutabilis*, quæ verba & per se nihil significant, & ab Authoris instituto planè sunt aliena. Scripta autem sunt, quod Interpres haud observaverat Prov. X. 17. est autem eo loco ἀνεξέλεγκτος τῆς τοῦ κόου *Increpationem deserens*, aut ut Vulg. *relinquens* id est haud potens redarguere, convincere, refellere. Ita saltem Clemens Salomonem intellexit, ut ex ipsius verbis patet, παιδεία δὲ ἀνεξέλεγκτος πλανᾷται, φησὶν, ἢ χρὴ μετεῖναι τὸ ἐλεγκτικὸν εἶδος εἰκα ἔ τὰς δόξας τὰς ἀπαιτηλὰς διακρίσει τῶν σοφιστῶν.

XXII. Sed & ad Latinos Patres non minus quam Græcos rectè intelligendos LXX. viralis versio perquam utilis est; imò necessaria. Quoties enim aliquid ex Veteri Fœdere citant, aut ad locum aliquem quocunque modo respiciunt, aut ipsi Seniores illos interpretantur, aut Latinam Interpretationem ex LXX Versione factam referunt. Quamvis enim fuerint quam plurimæ inter Latinos Patres Veteris Instrumenti Versiones, tamen ante S. Hieronymum nulla ex Hebræo Codice facta est, sed ex Græco omnes. *Qui enim Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt numerari possunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque Lingue habere videbatur, ausus est interpretari: ut loquitur S. August de Doctr. Christ. l. 2. c. 3. & de Civ. Dei l. 18. c. 43. Cum fuerint & alii Interpretes, qui ex Hebræa Lin-*
gua

qua in Græcam sacra illa eloquia transtulerunt, hanc
 tamen quæ LXX est, tanquam sola esset, sic recepit Eccle-
 sia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum ple-
 rique, utrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac LXX In-
 terpretatione etiam in Latinam Linguam interpretatum
 est, quod Ecclesiæ Latine tenent. Omnes itaque Lati-
 næ Veteris Instrumenti Versiones ante S. Hieronymū
 ex LXX Interpretibus sunt expressæ; atque ideo Lati-
 ni Patres, ubi locum aliquem inde proferunt, aut ad
 Mosen & Prophetas quoquo modo respiciunt, non a-
 liter quam ex illa Interpretatione sunt intelligendi. Li-
 bros duos aduersus Judæos scripsit ad Quirinum S. Cy-
 prianus, ex utroque Fœdere, Veteri præcipuè, *excer-
 ptis capitulis & annexis*, hæc autem, quatenus Vetus
 Instrumentum spectant, non aliter, quam ex LXX
 Versione intelligi possunt. Quis mentem S. Ambrosii
 assequetur, qui in Oratione de Obitu Theodosii, de He-
 lena in hunc modum loquitur; *Adoravit illum, qui
 pependit in ligno, illum, inquam, qui sicut scarabæus cla-
 mavit, ut persecutoribus suis peccata condonaret*, nisi
 qui sciat eum ad illa Hab. II. 11. respexisse, *λίθος ἐκ τοί-
 χης βοήσεται, καὶ κάρβαρος ἐκ ξύλων φθέγγεται αὐτῶν*; Unde
 & S. Ambrosio, & S. Augustino Christus appellatur
Scarabæus bonus.

XXIII. Deniq; Seniorum lectio vel ideo urgen-
 da, quod in ea veteris Græcæ literaturæ plurima super-
 sint vestigia, & nonnulli ex Criticis Græcis aliter intel-
 ligi recte non possint, nisi, quando ad LXX respexerint,
 observemus. Unus pro reliquis nobis erit Hesychius,
 quem nemo nisi in Senioribus versatissimus unquam
 intelliget. Apud eum legimus *εἶδος, τυρός*. Unde, quia
 voci-

vocibus Laconicis scatet, è litera postrema colligere quis posset Laconum Dialectum esse; & ita Isaacus Casaubonus ad Athenæum scripsit. Σόρος vel Σόρος pro τῆρος caseus. At mihi dubium non est, non Σόρος scripsisse Hesygium sed Σορ, idque vocabulum series postulat, unde Casaubonus vel Σόρος addidit: neque τῆρος eum scripsisse autumo, aut caseum in animo habuisse; sed τῆρος, atque adeo urbem Tyrum intellexisse. Ita enim legimus Ezech. 26. 2. ἀνθ' ἧ εἶπε Σὺρ Ἰερουσαλήμ, & v. 3. ἰδὲ ἐγὼ Ἰπὶ σὲ Σορ: utrobique autem Hebraicè legitur טָרְסִי quæ alibi à LXX τῆρος redditur. Rectè igitur apud Hesygium Σορ, τῆρος. Eusebius de locis Hebraicis, Σὺρ, τῆρος, Φοινίκης μητρόπολις, κλήρω Νεφθαλείμ. S. Hieron. Sor, Tyrus, metropolis Phœnicis, in tribu Nephtbalim. Et Theodoretus l. 13. in Ezechielem, ἡ γὰρ τῆρος Σὺρ τῆ Ἰπικωρίω προσαγορεύεται Φωνή. Legimus apud eundem, Βαρθανικῆσιν, ἀκάνθαις, σκόλοψι, & observat Henricus Stephanus legendum Βαρθανικῆσιν, quin apud Suidam Βαρθανικῆς, ἡ ἀκάνθα. Verum an vox ipsa sit bene Græca, aut unde talem significationem sit sortita, non docet. Stephanus autem Glossographus antiquus MS. in expositione ἐνδιαθέτων γραφῶν, eadem in hunc modum scripsit, Βαρθανικῆσιν, ἀκάνθαις, σκόλοψι (l. ex Hesygio σκόλοψι) unde statim colligimus vocem esse Scripturariam. Et quidem Jud. IX. 7. legimus נַחַשׁוּתֵי הַבְּרָכָה וְנַחַשׁוּתֵי הַמְּדָבָר לְכָל יִצְחָק בְּכָל שָׁנָה לְכָל יִצְחָק לְכָל יִצְחָק LXX καὶ ἐγὼ ἀλοήσω τὰς σάρκας ὑμῶν ἐν ταῖς ἀκάνθαις τῆ ἐρήμου, καὶ ἐν ταῖς Βαρθανίμ, ita Codex Romanus: Alexandrinus Βορκομμεῖν, Aldinus Βορκομνείμ. Quod autem ἀκάνθαις seu σκολοπας eam vocem Veteres significare putaverint, patet velexeo, quod Complutensis & Oxoniensis habeant
ἐν τοῖς

ἐν τοῖς τριβόλοις. Et Euseb. libro de locis Hebraicis. Βορκονηίμ,
Λύλας τρέπει εἰς ἀκάνθας, Σύμμαχος εἰς τριβόλας. Ita editio Bon-
frerii, & S. Hieron. *Borconni, quod vertit Aquila in Spinas,*
ἔσ Συμμαχίμ in tribulos. Sed suspecta mihi vox illa τρέπει
ap. Bonfrerium; in meo enim Codice scribitur Βορκονηίμ ἄ
τραγακάνθας καὶ τριβόλας ubi pro καὶ legendum σ', id est Sym-
machus, ut ex S. Hieronymi versione constat. Βαρκανηίμ
igitur, vel ut Codex Alexandrinus ad v. 19. Βαρκηνηίμ Græ-
co casu reddito βαρακηνίσι.

XXIV. Apud eundem legimus; Μὴ ἀποσκορηκίσησ με,
μὴ ἀποδιώξησ με, μὴ ἀποδοκιμάσησ με, ubi omnia leviter
sunt corrupta. Paulo correctius eadem] pene ap. Sui-
dam Μὴ ἀποσκορακίσησ με, μὴ ἐκδιώξησ με, μὴ εἰς κόρακας ἐκβάλης.
Hæc ad Scripturam Veterem pertinere docet nos Lexicon
Vetus Scripturarum à Reverendo Archiepiscopo Arma-
chano mihi concreditum, ubi inter vocabula ad Psalmorum
explicationem pertinentia legimus; Μὴ ἀποσκορακίσησ με, μὴ
ἀποδοκιμάσησ με, μὴ ἀπορρίψης με. At nec in editione Romana,
nec in MS. Alexandrino tale quippiam invenitur; In editi-
onibus quidem Aldin. & Complut. Ps. 26. 9. habentur βο-
θός με γενῆ, μὴ ἀποσκορηκίσησ με, καὶ μὴ ἐγκλίπης με quibus suf-
fragatur B. Theodoretus. At Vulgatus Interpres lectionem
Romanam & Alexand. μὴ ἐγκλίπης με, καὶ μὴ ὑπερίδης με se-
quutus est, vertit enim *ne derelinquas me, neque despicias me.*
Adeo vetus est inter Codices LXX discrepantia. Certè
Seniores Ἰουδαῖοι ἤν transtulerunt, μὴ ἀποσκορακίσησ με, cæ-
teri autem Interpretes μὴ ἀπορρίψης με, quæ verba Author
Lex. Arm. pro explicatione posuit. Testis est B. Theod.
τὸ μὴ ἀποσκορακίσησ με, μὴ ἀπορρίψης με εἶπον οἱ ἄλλοι ἐρμηνευταὶ ad-
ditq; ex eruditione Gentilium Seniores hoc vocabulum
hausisse, ἀπὸ τῆς ἐξωθεν δὲ παιδείας οἱ ἐβδομήκοντα τὰ τοῦ ὀνόματος
πεποιήκασιν. τὸ γὰρ, εἰς κόρακας, ὕβρις τις ἦν ὡς τὸ τοῖς πάλαι, ἀπὸ
D 71706

τινος μύθου γυγινημύθη. Vult igitur à trito proverbio εἰς κέρακας, è
 fabula quadam nato (ut etiã Zenobius & Suidas testantur)
 dictum fuisse σκορακίζειν: Cui observationi Grammatici ve-
 teres adstipulantur. Zenobius σκορακίζειν, ἀντὶ ἧ εἰς κέρακας
 πέμπειν, ἐκφρασίζειν. Hesychius σκορακίζειν, εἰς ἔρημον πέμπει, καὶ
 ἀράται, ἀπὸ ἧ εἰς κέρακας πέμπειν, ἢ ἐκφρασίζειν; Suidas, σκορα-
 κίζειν, οἷοι εἰς κέρακας ἀποπέμπειν, ἀπὸ τήτης γδ εἴρηται. σκορακίζειν
 igitur ex proverbio factum est; non à LXX, ut innuere
 videtur B. Theodoretus, scil. à Græcis vetustioribus, à qui-
 bus acceperunt Seniores. Et frustra H. Stephanus ἀποσκο-
 ράζω *de traho*, novum in Lingua Græca verbum ex deprava-
 to Hesychiilocò, ut solet, excogitavit, ἀπεσκοράζειν, ἀπε-
 σύρατο, legendum enim ἀπεσκοράκισεν, ut apud Etymologum
 legimus, ἀπεσκοράκισεν, ἀντὶ ἧ ἀπεκρέσατο, καὶ μετὰ μίσθου ἐξέβα-
 λεν. Diffiteri tamen non possumus Seniores aliquando voces
 nonnullas effingere atq; formare ad exprimenda verba He-
 bræa, quæ erant Græcis auribus inauditæ. Ut cum apud
 Hesychium legimus, ἐν μακρύμασιν, ἐν ἀποστασίαις, quis vete-
 rum Græcorum hæc intelligeret? quis quid velit, sciret,
 nisi Seniores consuleret, qui ita in Esdræ Interpretatione lo-
 quuntur IX. 1 ὅτι ἐχωρίσθη ὁ λαὸς Ἰσραὴλ, καὶ οἱ ἱερεῖς, καὶ οἱ Λευ-
 ῖται ἀπὸ λαῶν τῶν γαιῶν ἐν μακρύμασιν αὐτῶν. Hebr. כַּתְּעִבְתָּם
 cum ipsi soleant כַּתְּעִבְתָּם aut in ἀνομίαν, aut frequentius in βδέ-
 λυγμα vertere. Ideò autem in hoc capite per μακρύμμα red-
 didisse videntur, quod v. II. cum כַּתְּעִבְתָּם sit conjuncta. כַּתְּעִבְתָּם
 כַּתְּעִבְתָּם בְּתוֹעֵבּוֹת הָאֲרָצוֹת עִמִּי כַּתְּעִבְתָּם הָיָה יְהוָה מֵתַאֲכִיזֵם אֶת
 ἐν με-
 τακινήσει λαῶν τῶν ἐθνῶν ἐν μακρύμασιν αὐτῶν. Ut enim כַּתְּעִבְתָּם τῆ
 כַּתְּעִבְתָּם accommodarent, per μακρύμμα expresserunt, id est re-
 motionem, separationem, elongationem, quæ immunditiam
 & abominationem sequitur, כַּתְּעִבְתָּם enim remotio, seu quicquid
 propter immunditiam removeretur. Hinc כַּתְּעִבְתָּם Senioribus
 ἀφιδρος. Hesych. ἀφιδρος, ἀκαθαρσία ut Lev. XV. 19. ἵπτα ἡμέ-

ρας ἔσαι ἐν τῇ ἀφῶδρῳ αὐτῆς. Nonnunquam eadem *ὑποκαθημένη*
redditur. Helych. *ὑποκαθημένη, ἀμορρόβια*, ut Ezech. XXII.
10. *ἐν ἀκαθαρσίαις ὑποκαθημένην ἵταπείνῃν*. Ἀ μακρύνω igitur, ut
μεμακρυσμένον Ps. LV. 1. ita & *μάκρυσμα* deduxerunt: quam
vocem, opinor, certè expositionem ejus, frustra apud ve-
teres Græcæ Linguæ Scriptores quæras.

XXV. Cum igitur LXX viralis Versio ad Hebrai-
cam veritatem probè percipiendam, ad Authoritatem testi-
moniorum Apostolicorum confirmandam, ad nativum
Novi Fœderis stylum rectè intelligendum, ad Græcos La-
tinosque Patres ritè tractandos, ad scientiam denique Lin-
guæ Græcæ ipsamque Criticam adornandam tam sit utilis at-
que necessaria, quis eam doctis omnibus, præsertim The-
ologis, non videt debere esse commendatissimam?

XXVI. Quoniam autem hæc Seniorum Versio etiam
S. Hieronymi tempore *corrupta fuit atque violata*, danda est
opera ut ei pristina puritas restitui & redintegrari possit.
Certum est exemplaria quæ habemus, Complutense, Aldi-
num, Romanum, plurimum inter se & ab Alexandrino di-
screpare, alios etiam Codices aliquarum S. Scripturæ parti-
um satis antiquos, nunc cum eorum aliquo, nunc cum nul-
lo convenire. Optimè igitur fecerit, qui Codices omnes
MSS. cum editis diligenter contulerit, qui varias Lectio-
nes, non tantùm ad Hebraicam Veritatem examinaverit,
sed cum antiquissimorum Judæorum Philonis & Josephi, &
vetustissimorum Patrum Scriptis comparaverit, ac deniq;
expositiones eas, quæ apud Lexicographos Scripturarios
etiamnum extant, vel potius delitescunt, inspexerit, atque
ita nobis Editionem LXX maximè puram adornaverit.
Quale opus utinam aliquando Vir Doctissimus Isaacus Vos-
sius, qui optimè potest, perficeret ederetq;. A. MDC LXV.
J. P. D 2 PHILIP.

PHILIPPI MELANCHTHONIS
PRÆFATIO

Bibliis Græcis præmissa.

MAgnum & admirandum opus Dei est, cœli & omnium corporum, omniumque animantium & hominum, ut ita dicam, fabricatio: sed multo majus est, quod conditis rebus Deus se generi humano certis & illustribus testimoniis patefecit, & quasi prodiens ex sua arcana sede se ostendit, tradita & commendata certa quadam doctrina. Nec semel tantum allocutus est homines, sed sæpe ac multa perspicua testimonia suæ vocis edidit: ut servationem Nohæ in diluvio, educationem mirandam populi ex Ægypto, & deinde multa: jusfit solem consistere, jusfit regredi solem, excitavit mortuos.

2. Etsi autem magna pars generis humani vel non attendit, vel spernit hæc ingentia facta, tamen Deus Ecclesiam sibi inde usque ab initio collegit, ac mirandis modis servavit, & semper servaturus est: quam vult testem esse & horum factorum, & doctrinæ. Huic mandavit ut historiam scriberet harum patefactionum, & traditam doctrinam certis & perpetuis monumentis asservaret. Ac semper in illustri loco Ecclesiam collocavit, ac conspici voluit, ut reliquæ gentes audirent, esse cœtum quendam hominum, circumferentem doctrinam certa voce Dei traditam, à quo cœtu Deus velit peti doctrinam de hominum salute, & de vera invocatione. Errant enim multi perverse sapientes, qui imaginantur nullam in hoc libro Ecclesiæ doctrinam aliam aut meliorem contineri, quam sitaliam gentium sapientia de Deo, de vinculis humanæ societatis, de gubernatione hominum, de bonis moribus.

3. Ac sciendum est, longè aliam sapientiam hic contineri. Ingens & infinitum discrimen est inter legem Dei insitam
omni-

omnium mentibus, nobiscum nascentem, & notam omnibus gentibus, unde doctrina omnium gentium de gubernatione civili & de bonis moribus nata est: & inter promissionem prolatam ex sinu æterni patris, de reconciliatione generis humani, de abolendo peccato, & abolenda morte, de restituenda salute æterna, de filio Dei mediatore.

4. Hanc arcanam & admirandam sapientiam, quæ & angelis & hominibus ignota erat, Deus immensa misericordia patefecit, hanc scribi in hoc libro voluit, & hujus libri custodem esse jusfit Ecclesiam. Et sæpe monet, præcipuè se hæc officia flagitare, lectionem, custodiam, & propagationem hujus libri. Sicut Esaias vocat omnes ad legem, & ad testimonium, ac minatur exitium & æternas tenebras iis qui hæc Dei testimonia negligunt.

5. Sed ô ferreas mentes hominum. Testatur Deus cura se adfieri generis humani, prodire toties & patefacere se non recusat, promittit bona omnis generis, & æternam salutem.

6. Hanc ingentem misericordiam magna pars generis humani negligit, aut aspernatur: quod & Esaias in illa ipsa concione paulo ante citata considerans ac deplorans, petit ut Deus tamen sibi cœtum aliquem servet, qui sit custos horum librorum & veræ sententiæ. Ob signato legem in discipulis meis, inquit, id est hanc curam exsuscita in auditorum meorum mentibus, ut tuos libros ament, legant, asseruent, & propagari curent, & eorum studium adjuva. Accende etiam in mentibus eorum lucem tuam, & tanquam *σφραγίδα* tuam imprimito, videlicet nativam & veram sententiam. Hos inter imperiorum ruinas servato, da eis hospitia aliqua, & potestatem, ut te expectent. Hanc Esaiæ precationem nos quoque hoc tempore sæpe cogitemus, & recitemus, ac simul Deo gratias agamus, quod nos ad suorum librorum lectionem & propagationem vocavit, & suo quisque loco aliquid operæ conferrat ad divinorum monumentorum asservationem. Prædicant suum beneficium, qui veteres poëtas, historicos, oratores, medicos, le-

legum volumina edunt : & iuste prædicant, ac gratiam habendam eis statuo. Et in his multa Ecclesiæ profunt. Sed tamen multo magis prædicanda est voluntas omnium qui curant, ut extent, ut sint in manibus hominum, ac transmittantur ad posteros libri prophetici & apostolici. Gratum Deo faciunt & scriptores, qui versiones luculentas adornant : & typographi, qui edunt : & principes, qui hæc studia fovent, nec impediunt, ut fit in multis locis.

7. Præcipuè verò bene merentur de Ecclesia, qui fontes proferunt, videlicet Ebraicos libros prophetarum, & græcos Apostolorum.

8. Omnium igitur opera in edendis ac illustrandis græcis Apostolorum scriptis, probanda est, nam hi sunt fontes.

9. Versionem verò græcam prophetarum scio longè squalidiorum esse suis fontibus : sed tamen extare eam utile est, cum ea Græci etiamnum utantur, & collatio sæpe Latinis prodesse possit : denique cum sententiæ à Paulo citatæ ostendant, tunc eam in manibus Apostolorum fuisse. Et tunc cum libri illi græci integriorum essent, & recte distincti, plus lucis habebat græca lectio. Nec ego de interpretibus disputabo : optarim eruditiores & diligentiores fuisse, quicumque fuerunt. Sed postrema ætas illa Judaici populi, regnantibus Græcis, non habuit multos recte intelligentes prophetarum conciones. Erant enim pleræque insulsis opinionibus phariseorum obscuratæ, ac pene obrutæ.

10. Et quanquam in Syria & Ægypto in urbibus majoribus populus græcè loquebatur, tamen nativam proprietatem non retinuit incorruptam. Et alii aliis erant eruditiores, & in delectu verborum, in phrasi, in distinguendis intervallis sententiarum diligentiores. Apparet aurem interpretibus his, quorum hæc est versio, non tam verborum intellectum defuisse, quàm diligentiam in distinguendis sententiis. Quod eo accidit, quia & fontes non satis intellexerunt, & ad diligentiam formandæ orationis in græca lingua non fuerunt advesfacti. Postea etiam tot seculis multa membra confusius descriperunt indocti librarii.

11. Prodest autè extare hæc monumenta, & propter citatas à Paulo sententias, & quia interdum græca lectio propior est fontibus quàm latina, ut in sententia gravissima & Ecclesiæ necessaria apud Johel :
Gon-

Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quid hic significat præstabilis? Græcus proprie & perspicue reddidit Ebræam vocem μετανοῶν ἐπὶ κακίας, significans Deum in afflictionibus nostris & ærumnis quasi pœnitere suæ iracundiæ, ac mitigare pœnas, ne prorsus consumamur. Etsi enim justissima est ira, tamen hæc nostra imbecillitas severitatem judicii divini ferre potest, sicut clamat Jeremias: Corripe me Domine, verum in iudicio, & non in furore, ne in nihilum redigas me. Et extant multæ similes sententiæ.

12. Postremò utilitas non adspernanda est, quod cum sermonem Apostoli græce scribentes ex hoc libro sumplerint, melius intelligent pondera verborum in Apostolicis scriptis, qui attente legent hunc librum.

13. Adservemus ergo hæc monumenta, inspicienda studiosis. Quicquid est enim quod aliqua ex parte ad illustrandam doctrinam cœlestem conducit, diligenter retinendum est.

14. Tam multa sunt illustriæ testimonia de Deo in tota natura rerû, hic pulcherrimus ordo corporum, leges certæ motuum cœlestium, specierum conservatio, ipsa mens hominis, & in mente notitiæ certissimæ numerorum & ordinis, & discrimen honestorum & turpium, multæ futurarum rerum significationes, quæ omnia convincunt animos nostros, hunc mundum non extitisse casu, sed esse quandam æternam mentem architectatricem. Deinde manifestum est, puniri atrociter scelera in hac vita insignibus exemplis. Est igitur providentia. Quare necesse est, homines quærere ubi, in quo genere doctrinæ se patefecerit Deus, quid de reconciliatione docuerit. Hæc qui verè considerant, Ecclesiæ libros amant, & horum sapientia fruuntur, eamque longè anteferunt aliis quamlibet ingeniosorum hominum scriptis. Hos etiam oro & obtestor, ut tueri & propagare horum librorum doctrinam studeant. Nec moveamur Cycloperum & Epicureorum furoribus, qui & Deum, & libros divinos, & univsum studium doctrinæ de Deo superbissime & audacissime rident. Brevi veniet filius Dei Dominus noster Jesus Christus, vindex tantarum contumeliarum, quibus Deus adficitur. Hic discant illi Cyclopes.

pes-

pes & Epicurei, veram fuisse vocem quam à Pindaro discere debuerant, cum fastidirent Prophetarum & Apostolorum lectionem *ἐχθρὰ σοφία, λοιδορῆσαι θεόν.*

15. Nos verò ardentibus votis petamus à Deo æterno patre Domini nostri Jesu Christi, qui se in hac ipsa doctrina per Prophetas & Apostolos tradita patefecit, ut in mentibus nostris lucem suam, agnitionem Evangelii sui, invocationem veram accendat, nos ad pia officia flectat, colligat sibi Ecclesiam æternam, & mitiget nobis calamitates communes & privatas. Hæc petentes, experiemur hanc ipsam doctrinam horum librorum, veram & salutarem esse: & non minus certam, quàm sunt geometricæ apodixes, quæ maxime sunt illustres. Sed certitudo aliter deprehenditur in geometria, aliter in his libris.

16. Nam hic cum assentimur, credimus, & fide petimus bona: respondent eventus, & agnoscitur certitudo: sicut scriptum est. Credite & securi eritis. Etsi autem sumus imbecilles, tamen omnes in quibus accensa est fidei scintilla, sciant Deum adesse iis quos vocavit, & velle inchoatum beneficium absolvere, ut Paulus inquit, *θεὸς γὰρ ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλει, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς ἐνδοξίας*, id est, ut aliqua ipsi grata fiant inter homines. Nam maxima pars generis humani variis furoribus ruit contra voluntatem Dei. At ut aliqua pars generis humani Deo serviat, Ecclesiam vocat, & hanc ad veram invocationem & vera officia flectit. Nobis igitur, in quibus accendit studium recte faciendi, sciamus Deum adesse, ac opitulari, ut nostri labores nobis & aliis sint salutares.

Hac spe recta faciamus, & horum librorum doctrinam amemus, amplectamur, propugnemus, eiq; obtemperemus. Bene vale Lector, Anno 1544. die 25. Novembris, quo Jerosolymæ erant instituta Encænna, propter repurgatum eo die templum, ejecto idolo quod ibi Antiochus collocari jusserat. Oremus nunc quoq;, à Deo simili felicitate repurgari templa, & restitui veræ pietatis officia in pluribus.

